



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus  
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos  
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

Per XXXVI. Casus Exhibens Materiam de Conscientiâ, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure & Justitiâ

**Jansen, Leonard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1752**

**VD18 13475452-001**

Ex Tractatu De Conscientia, Seu Regula interna Actuum humanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39804**



E X

TRACTATU  
DE CONSCIENTIA,

SEU

Regula interna actuum huma-  
norum.

CASUS I.

De Conscientia in genere; & in specie; de vin-  
& invincibiliter erronea.

**A** Bellius pastor studiorum incurius, 10. putat  
quaslibet distractiones sub officio Missa esse  
mortale, nihilominus saepe distrahitur; ibid.  
11. Varias cogitationes admittit, nesciens, an sint  
graviter, an venialiter mala, iisque ex post omnino  
assuefactus sine remorsu conscientia inheret. 12. Je-  
iunium saepe promulgat, dum non est preceptum, dum  
autem est, saepe obliviscitur. 13. Laborantes igno-  
rantia fidei; preceptorum Dei, & Ecclesie, item pu-  
tantes se non esse obligatos ad dimittendas occasiones  
proximas; ad ignoscendum inimico, ad explicanda  
peccata merè interna non admonet, eò quòd credat  
eos monitioni non esse parituros. Pro resolutione  
examinabitur 1. Quid sit conscientia speculativa

A

&

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

& practica. 2. Vera & falsa. 3. Vincibilis & invincibilis, ethicè & physicè recta. 4. An necessariò sit certa. 5. An obliget erronea. 6. An actus ex ea secutus sit moraliter bonus. 7. An detur ignorantia invincibilis in materia juris naturalis. 8. Quid de conscientia vincibiliter erronea.

1. QUÆRES I. Quid, & quotuplex sit conscientia?

ꝛ. I. Conscientia est dictamen practicum intellectûs, dictans, quid hîc & nunc licitè & honestè fieri possit, debeat, aut non debeat: est communis. *Dicitur 1.* Dictamen intellectûs, & non voluntatis, ut vult *Durand.* quia conscientia est quasi scientia, vel iudicium de honestate, vel inhonestate actûs, scire autem & iudicare indubiè ad intellectum pertinet. *Dicitur 2.* Dictamen practicum, hoc est, immediatè dirigens operationem hîc & nunc ponendam; nam conscientia *consequens*, quæ scilicet consequitur operationem eamque approbat, vel reprobat, non est propriè conscientia, sicut nec conscientia *speculativa*, quæ immediatè non versatur circa actionem hîc & nunc ponendam, sed solum in genere dicit quid sit, vel non sit licitum, præceptum, vel non præceptum: v. g. omni die festo est obligatio audiendi Missam; conscientia autem propriè talis, seu dictamen *practicè practicum* dicit: tibi non impedito hoc die audiendum est Sacrum.

2. ꝛ. II. Variè dividitur conscientia etsi minùs propriè: nam 1. alia est *antecedens*; alia *consequens*; alia *practica*, alia *speculativa*, de quibus jam dictum est.

2. Considerata in ordine ad objectum alia vocatur *directa*, quæ de objectis secundum se consideratis aliquid enuntiat; ut si dicam, parentes sunt honorandi; hodie est audiendum sacrum &c. alia

*reflexa*

*reflexa*, quæ enunciat aliquid de objectis certo modo cognitis; ut cum dico: quod prudenter judico esse amandum, hoc honestè amo; quod prudenter judico esse licitum, hoc mihi est licitum.

3. Conscientia in ordine ad subjectum in quo est, alia dicitur *tenera*, quæ sollicitè curat vitare omnia peccata tam levia quàm gravia: alia *laxa*, quæ solum curat vitare gravia. Alia *pharisaica*, quæ magna parvi, & parva magni æstimat secundùm illud Matt. 23. *excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Alia *cauteriata* per quam operans ob depravatum animum est veluti insensibilis ad instinctus vel motus honestos, de quâ Apostolus 1. Tim.

4. *cauteriatam habentium suam conscientiam.*

4. Ex modo quo dicitur aliquid esse bonum vel malum, alia est *obligans*, alia *permittens*, alia *consulens*. Obligans subdividitur in *præcipientem* & *prohibentem*.

5. In ordine ad objectum motivum alia dicitur *certa*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *perplexa*, alia *scrupulosa*, de quibus in seqq.

6. In ordine ad objectum materiale alia est *vera* seu *recta*, quæ dicitur esse licitum vel illicitum, quod revera tale est. *Alia falsa* seu *erronea*, quæ illicitum dicit esse licitum, vel è contra: potest autem contingere, quòd conscientia speculativa sit certa, practica verò falsa, vel dubia, ut si intellectus dicat Christiani in die Paschatis tenentur audire Sacrum, & inde inferat, ergo etiam ego infirmus. Vel è contra conscientia speculativa sit falsa, & practica certa, ut si ex hoc quod erroneè judicem nullum in vigilia S. Matthæi obligari ad jejunium, inferam, etiam me infirmum non obligari.

Conscientia *erronea* iterum est duplex, alia vocatur *vincibilis*, quæ scilicet adhibitâ morali dili-

gentiâ (id est tali, quam homines prudentes in re alicujus momenti adhibere solent) vinci & deponi potest; alia *invincibilis*, quæ sic deponi non potest; item conscientia recta alia est solum *recta physicè*, & idem est, quod vera seu conformis objecto; vel etiam est *recta ethicè*, seu conformis appetitui recto, hoc est parato implere omnem Dei legem, quamvis à parte rei sit falsa, v. g. si aliquis de hostiâ à sacerdote post consecrationem elevatâ temerè dicat: hæc hostia non est consecrata, ideòque nec adoranda, hæc conscientia, ex supposito, quòd sacerdos non sit validè ordinatus, est vera seu physicè recta, non tamen est recta ethicè seu conformis appetitui recto, utpote temeraria; è contra si de eadem hostiâ dicas: hæc hostia est consecrata, ideòque adoranda, habebis conscientiam ethicè, non physicè rectam.

4. QUÆR. II. An & qualiter conscientia debeat esse certa?

¶ Conscientia practicè practica, seu dictamen ultimum debet esse ad minùs moraliter certum, vel saltem excludere omnem prudentem formidinem de opposito. Est communis cum *D Th. quodl. 8. a. 13. O.* ubi dicit ad conscientiam requiri, ut *in nullam dubitationem adducatur*, & Ratio est, quia si ultimum dictamen non excludat omnem prudentem formidinem, posset quis meritò dubitare de honestate actûs, ideòque voluntas ageret cum dubio practico, seu consentiret in actum, quem cognoscit forsan esse inhonestum, & consequenter exponeret se periculo formaliter peccandi, & virtualiter contemneret legem, & in facto diceret, sive actus sit, sive non sit prohibitus, volo tamen eum ponere: idem dicendum, si dictamen ultimum tantum niteretur motivo probabili cognito tunc tali:

tali ; motivum enim probabile est fallibile , hoc ipso autem , quòd quis cognoscat motivum suum esse fallibile , cognoscit actum , quem hìc & nunc ponit , fortè esse inhonestum ; ideòque ager cum dubio practico. Econtra si conscientia in sequidem sit tantum probabilis , bonam autem fide credatur esse certa , sufficiet ad regulandum actum honestum , quia excluditur omnis dubitatio & formido de inhonestate actus ; si enim actus invincibiliter erroneus habitus pro vero sufficiat ad actum honestum , vel saltem ad excludendum peccatum , cur non sufficiat conscientia merè probabilis , quæ bonam fide haberetur pro certa ?

Dixi omnem prudentem formidinem. Nam imprudens formido consistere potest cum certitudine morali saltem imperfecta , quæ sufficit ad honestatem actus , ut patet in scrupulosis , & in iis , qui imprudenter dubitant de valore ordinis , qui non obstante tali dubio sunt satis certi de honestate sui actus , & de licito usu ordinis suscepti. Ratio à priori est , quia in moralibus non semper omnimoda & perfecta certitudo haberi potest ; & foret onus intolerabile , imò vix possibile excludere semper omne dubium etiam imprudens de licentia actionis , ideòque satis est si tale dubium contemnatur.

QUÆR. III. Qualiter obliget conscientia ? §.

ꝛ. Conscientia non tantum recta , sed & invincibiliter erronea præcipiens vel prohibens obligat ad sui sequelam , ita ut agens contra conscientiam contrahat eam malitiæ speciem , quam conscientia dictabat esse vitandam , ut si iudices , te obligari ad mentiendum , v. g. ex charitate proximi , non mentiendo peccas contra charitatem : si falsò iudices , hanc pecuniam esse alienam , & ideo restituendam , peccas contra justitiam , si non restituas ; & sic de

aliis. Est communis cum *S. Th. 1. 2. q. 19. a. 9.*  
*Bonav. in 2. dist. 39. a. 1. q. 4.* quia, quod non est ex  
 fide (seu secundum conscientiam) peccatum est,  
*Rom. 14.* ideoque *c. litteras* de restitutione dicitur,  
*quidquid fit contra conscientiam, adificat ad gehennam.* & Ratio est, 1. quia habens talem conscientiam invincibiliter judicat existere legem Dei præcipientem v. g. mendacium, ergo si agat contra hoc dictamen suum, contemnit authoritatem Dei legislatoris, æque ac si lex reipsa existeret; & e contra si agat juxta hoc dictamen, reveretur authoritatem Dei. 2. Lex Dei non applicatur nobis per se ipsam immediatè sed per dictamen, conscientia, ergo quale est invincibile dictamen conscientia, talis respectu nostri est lex Dei, ideoque conscientia dicitur intrinseca & immediata regula actuum humanorum, adeò quidem, ut actus conformis conscientia etiam invincibiliter erronea non tantum careat omni culpa, sed etiam sit positivè honestus, & moraliter bonus eà bonitate, sub qua obligabat conscientia, ideoque in posito casu mendacium erit actus imperatus à charitate, ut habet communissima apud *Teril. in reg. honest. moral. q. 3. Sporer hic n. 18.* Ratio est, quòd actus humanus sumat bonitatem & malitiam ab objecto, non secundum se, seu prout est à parte rei, sed ut cognito & proposito per intellectum, ergo si mendacium invincibiliter proponatur ut bonum & obligatorium ex charitate, voluntas illud amplectens exercebit actum charitatis, & per consequens non solum durante conscientia erronea, sed & cognito errore licitum erit delectari de ejusmodi actu, non secundum se prout est intrinsecè malus, sed in quantum bene & honestè factus est ex errore invincibili.

6. *Disco 1.* Actus moraliter bonus debet procedere

dere ex ratione rectâ, sed iudicium erroneum non est ratio recta, ergo.

2. Actus intrinsecè malus ex nulla circumstantia potest fieri bonus, atqui mendacium est intrinsecè malum, ergo nec ex circumstantiâ erroris invincibilis potest fieri bonum aut licitum.

3. Neque actus voluntatis imperans mendacium potest esse bonus, quia actus voluntatis specificantur ab objecto, atqui objectum seu mendacium manet intrinsecè malum, ergo.

4. Si mendacium hoc casu est moraliter bonum, ergo est à Deo ut authore, sed absurdum est Deum esse authorem mendacii. *Nec dicas* ejusmodi mendacium esse à Deo permittente, non approbante; *nam* quod Deus præcipit, hoc non purè permittit, sed approbat, seu intendit, ut fiat, atqui tali casu mendacium à Deo præcipitur, quia si omittatur, peccatur contra legem charitatis, quæ est lex Dei, ergo.

5. Etiam si iudicem invincibiliter aliquod objectum esse revelatum, si tamen à parte rei revelatum non sit, non habeo actum fidei divinæ, ergo à pari, quamvis invincibiliter iudicem mendacium esse licitum, quia tamen mendacium revera manet intrinsecè malum, voluntas mentiendi non erit bona sed mala.

6. Saltem actus imperans est ex objecto malus; pro objecto enim imperato habet mendacium, quod manet intrinsecè malum, ergo actus imperans est simpliciter malus: bonum enim est ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.

7. Sequitur, quòd ille bene agat & mereatur qui invincibiliter credit tres personas in divinis esse tres Deos eosque amat.

¶. *Ad* 1. Actus moraliter bonus debet procedere



dere ex ratione semper rectâ physicè seu conformi  
objecto, N, rectâ ethicè seu moraliter, C.

*Ad 2.* Actus intrinsecè malus non potest ex  
circumstantiâ erroris fieri intrinsecè bonus, C, non  
pot. si fieri bonus extrinsecè & denominativè, N,  
mendacium manet intrinsecè & materialiter ma-  
lum, denominatur tamen bonum ab actu imperan-  
te, qui non tendit in malitiam mendacii, quam  
non cognoscit, sed in bonum charitatis, à quo mo-  
vetur.

*Ad 3.* Actus voluntatis non specificantur ab  
objecto secundùm se, sed ut representato per  
intellectum, ergo si nulla in objecto representetur  
malitia, sed sola bonitas, actus non erit malus, sed  
bonus.

*Ad 4.* Mendacium in casu posito est tantùm  
extrinsecè & denominativè bonum, intrinsecè verò  
malum, ideòque à Deo approbari simpliciter, &  
præcipi non potest, sed Deus tantùm præcipit le-  
gem charitatis, ex qua operans per errorem invin-  
cibiliter subsumit: sed non possum hîc servare le-  
gem charitatis sine mendacio; quem errorem Deus  
permittit.

*Ad 5.* N. C. Motivum fidei est autoritas Dei  
per revelationem re ipsa existentem interposita, ut  
habet communis Theologorum; motivum vo-  
luntatis est bonitas representata per intellectum,  
et si à parte rei non insit objecto.

*Ad 6.* Actus imperans habet pro objecto ma-  
lum cognitum ut tale, N, cognitum sub ratione  
boni, C, ideòque est simpliciter bonus, quia nec  
partem malitiæ cognoscit.

*Ad 7.* N. seq. talis quidem bene agit moraliter,  
non tamen meretur, quia actus meritorius suppo-  
nit actum fidei supernaturalis, quem ille non habet,  
cùm

cum fides supernaturalis non posset influere in actum falsum.

QUÆR. IV. An detur conscientia invincibiliter erronea in materiâ juris naturalis? 7.

R. Quodad universalissima juris naturæ principia, & conclusiones inde clarè & immediatè deductas non potest dari ignorantia vel error invincibilis, saltem ad longum tempus: ejusmodi enim principia cuilibet ratione utenti statim ipso naturæ lumine innotescunt; ut; *declina à malo & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; cuique tribuendum est suum &c.* Ea verò, quæ per difficiles discursus ex his principiis deducuntur, etiam à doctissimis ignorari possunt, v. g. an census germanicus sit licitus; an liceat occidere injustum invasorem pudicitiae vel honorum temporalium; an injustè damnatus ad venenum possit illud proprio ori ingerere &c. ita communissima cum *D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. & q. 100. a. 1. Viva op. 1. q. 3. a. 6. Pontas V. ignorantia casu 2. La Croix lib. 1. à n. 720.* ubi etiam argumenta adv. doctissimè refellit, est verò contra *Girken* & aliquos rigoristas; sed ratio nostra est, quia hæc & similia sæpe inter integras scholas controversantur, & re diligentissimè discussâ, nescitur pro qua parte stet veritas, an non igitur hæc ignorantia est invincibilis? quid dicam de rudibus, qui nec studuerunt nec instructi sunt? Quod verò ignorantia hæc etiam excuset à peccato, certum est ex prop. 2. ab Alexand. VIII. damnata. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ, non excusat à peccato formali.* Ratio est quia peccatum necessariò est liberum.

Dices 1. Hæc propositio Jansenii damnata est ut hæretica: aliqua Dei præcepta hominibus justis

A §

volent-

volentibus & conantibus secundum presentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque gratia, quâ possibilia fiant: sed si daretur ignorantia legis naturæ, illa lex foret impossibilis, quia incognoscibilis post adhibitam diligentiam, ergo.

2. Orando potest quis vincere concupiscentiam, ergo & ignorantiam. Et Deus facienti quod est in se, non denegat gratiam.

3. Lex invincibiliter ignorata foret frustra, quia incognoscibilis & observatu impossibilis.

R. Omnia ista probant, nequidem dari posse ignorantiam invincibilem legis divinæ vel humanæ, quod est apertè falsum, ideòque nimium & nihil probant. In forma ad 1. dist. min. lex cognita foret impossibilis, N. non cognita, C. Jansenius volebat etiam leges aliquas ab homine justo cognituras esse impossibiles, & deesse gratiam, quâ possibiles fierent, quod est hæreticum.

Ad 1. N. C. quia oranti dantur gratiæ ordinariæ & sufficientes ad implenda præcepta & vincendas concupiscentias, non autem semper gratiæ extraordinariæ, qualis esset cognitio totius legis naturæ; & certè plurimi SS. Patres multùm orârunt, & tamen hanc notitiam non impetrârunt.

Ad 3. N. Ass. nam quamvis illa lex foret incognoscibilis respectu illius, qui laborat ignorantiam invincibili; non tamen secundum se & respectu aliorum, quorum plures illam indubiè cognoverunt.

2. QUÆR. V. An & qualiter obliget conscientia vincibiliter erronea?

R. Conscientia vincibiliter erronea, quâ quis v. g. putat sibi esse pejerandum ad liberandum proximum, non obligat ad suâ sequelam, sed est peccatum agere cum eâ & contra eam, ideòque debet deponi

deponi inquirendo veritatem, quia est vincibilis, ut supponitur, & agere contra conscientiam seu non pejerare, esset agere id, quod judicatur esse malum, & contra charitatem proximi; agere autem cum conscientia esset pejerare in illis circumstantiis, in quibus inquirendo veritatem, poterat scire perjurium esse illicitum.

Qualiter autem monendus sit pœnitens in conscientia erronea constitutus, dicam suis locis; hic sufficiat, quod peccans ex conscientia vincibiliter erronea semper sit monendus, peccat enim formaliter: Item ante absolutionem semper monendus est errans vel ignorans necessaria necessitate mediis, vel substantialia Sacramenti Pœnitentiæ, ut si quis putet se non obligatum ad relinquendas occasiones proximas, ad ignoscendum inimico; &c. talis enim non haberet propositum efficax, eò quod voluntarie vellet permanere in actuali peccato vel periculo peccandi formaliter; de cætero errans invincibiliter non est necessario monendus, nisi quando est spes fructus, & sine gravi incommodo moneri potest. *Vid. cas. 18. n. 3.* His præmissis, ad casum

¶ 1. Pastor tenetur sub mortali habere vel saltem intra breve tempus acquirere scientiam ad officium pastorale necessariam, aut beneficium resignare; qui enim obligatur ad finem, etiam obligatur ad media ordinaria & necessaria: idem tenet de Advocato, Consiliario, Medico, Chyrurgo & similibus; & si ad hoc parati non sint, sed pergant in suâ ignorantia functiones sui officii exercere, sunt in continuo statu damnationis, usque dum officium vel deponant, vel scientiam debitam acquirant, ratio est, quod alioquin clientes suos aut etiam alios, multorum & gravium damnorum exponant periculis: quod bene advertant horum confessori.

2. Judicans omnes distractiones esse mortale, siue hoc fiat ex errore vincibili, siue invincibili, peccat mortaliter quoties voluntariè distrahitur, quia agit contra conscientiam graviter obligantem; si verò involuntariè distrahatur, non peccat, quamvis distractiones involuntarias putet esse mortale, quia non sunt liberæ, omne enim peccatum essentialiter est liberum.

II. 3. Quod varias cogitationes admittat, nesciens, an sint graviter, vel venialiter malæ, tripliciter intelligi potest, nam 1. si admittat cum ea animi comparatione, ut sit paratus eas admittere, siue sint, siue non sint mortale, semper peccat mortaliter; si verò admittat eas nolens considerare, an sint mortale, vel veniale, ne teneatur abstinere ab objecto delectabili, aut ne fiat scrupulosus, de novo peccat mortaliter, quia cum nolit inquirere, an illæ cogitationes sint mortaliter malæ, & tamen iis voluntariè inhæreat, procedit malâ fide & scienter exponit se periculo peccati mortalis, & per consequens mortaliter peccat: si verò cognoscit illas cogitationes quidem esse malas, sed omnino præscindat, an sint mortaliter, an venialiter malæ, ut præscindunt quandoque rudes pejerantes, contumelias vel detractiones proferentes &c. probabilius videtur non peccare mortaliter, quia non apprehendit malitiam mortalem nec obligationem ulteriùs inquirendi, ut suppono; peccat autem venialiter, quia ad veniale sufficit cognoscere malitiam quamcunque. In praxi tamen videtur hoc rarè contingere, vel enim voluntas fortiter refugit tale objectum, & tum signum est, quòd intellectus apprehenderit malitiam mortalem; vel leviter refugit, & signum est apprehensam esse malitiam levem.

4. Quòd

4. Quòd autem istis cogitationibus assuefactus 12  
inhæreat sine remorsu conscientia, iterum dupli-  
cem habet sensum: vel enim significat, quòd nul-  
lum omnino habuerit actum intellectus, quo co-  
gnoscat, has cogitationes esse prohibitas; jam cla-  
rum est, quòd non peccet, quia non advertit ma-  
litiam; si verò significet, quòd non habeat judi-  
cium sensibile, quod causet actualem anxietatem  
& timorem, habeat tamen aliquod iudicium te-  
nue & imperceptibile, quale habet perfectus Cy-  
tharædus etiam imperceptibiliter se reflectens ad  
regulas artis, ac plerumque etiam peccatores con-  
suetudinarii, certum est, quòd peccetur juxta  
qualitatem materiae aut finis.

5. Parochiani instructi has cogitationes non esse 13  
aperiendas in confessione, si sint rudes, & bonâ  
fide putent se à Parocho bene instructos, laborant  
conscientiâ invincibiliter erroneâ, & non peccant  
illas in confessione omittendo; si verò sint docti,  
& dubitent, an Parochus hic & nunc erret, tenen-  
tur apud alios veritatem ulterius inquirere, item si  
confiteantur factum de quo inter Theologos con-  
trovertitur an sit peccatum grave vel leve, oportet  
ut pœnitens dicat qualem malitiam apprehenderit,  
gravem an levem: aut aliàs confessarius tenebitur  
hoc interrogare, qualis enim malitia apprehendi-  
tur, talis in actum refunditur.

6. Parochus promulgans suis jejunium, quando  
non est, peccat, quia injustè imponit subditis  
onus, ad quod non obligantur; nec obstat, quòd  
hoc fiat ex errore, nam hic error est vincibilis, cum  
inspiciendo calendarium facile tolli potuisset; pa-  
rochiani tamen, qui Parocho promulganti credunt  
esse jejunium, peccant contra conscientiam peccato  
intemperantiæ, si non jejunent.

7. Gra-

7. Gravius peccant qui certò aut clarè cognoscunt peccati malitiam quàm qui eam cognoscunt obscurè tantùm vel dubiè ; quia sicut si malitia nullo modo sit cognita, etiam nulla contrahitur ; sic si minùs sit cognita, minor contrahitur.

8. Monendi à parochis sunt parentes, ne pueris, ut eos ab actione aliqua de se non malâ aut solùm venialiter malâ deterreant, facilè dicant, illam actionem esse grave peccatum, vel mereri infernum ; ne pueri post plenum rationis usum, apprehendentes in tali actione gravem malitiam, eam agendo etiam incurrant. Reliqua satis constant ex dictis.

## CASUS II.

### De Conscientia dubia.

**B**aldus variis angitur dubiis, 1. Quoties argumenta fidei pro & contra excutit, putat se dubitasse in fide. 2. Et ignorat, quid sit dubium juris & facti. 3. Quale peccatum sit agere cum conscientia dubia. 4. An in dubio juris & facti semper teneatur sequi tutiora, 5. 6. 7. An in dubio extra materiam iustitia melior sit conditio possidentis. 8. Qua pars possideat. 9. Dubitat an lex existat, an sit promulgata, vel abrogata ; an hac vel illa consuetudo habeat vim legis ; an votum emiseric, vel voto emisso satisfecerit ; an Horas recitaverit, an cum debita intentione ; an dispensatio vel absolutio à censuris sit valida. 10. Anculpabiliter occiderit. 11. Percussit hominem dubitans, an esset Clericus. 12. An mortale admiserit, vel admissum sit legitime confessus. 13. An habeat etatem necessariam ad jejunium

nium & sacros Ordines. 14. An per sonitum duodecima nocturna dies jejunii transierit, & carnes comedere possit, vel e contra. 15. An mediam noctem cœnando excefferit, ideòque altero die nequeat celebrare. 16. An voverit sub mortali, an veniali, an calicem aureum vel argenteum, sum ante vel post pubertatem. Pro resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit dubium? 1.

R. 1. Dubium est suspensio intellectûs non potentis se determinare pro alterutrâ parte contradictionis, adeòque dubium non est propriè apprehensio utriusque partis oppositæ, aliàs enim in rebus fidei pro & contra inquirens dubitaret voluntariè in fide, quod nemo dicit; neque est necessariò judicium de insufficientiâ, & incertitudine motivi. Quamvis plerumque ejusmodi judicium adsit, aut talis dispositio animi, quâ ita in rem propositam ferimur ut saltem virtualiter eam reputemus esse incertam. Si intellectus sit suspensus ex defectu sufficientis motivi ad judicandum, dicitur dubius negativè; si sit suspensus ex eo, quod pro & contrâ habeat gravia motiva, dicitur dubius positivè.

2. Dubium aliud est Juris, aliud facti. *Juris* 2. est, quando dubitatur de licentia actionis ponendæ, de obligatione legis, aut consuetudinis, vel etiam, ut plures volunt, de valore actûs. *Dubium facti* est, quando dubitatur de aliis quàm de his, v. g. an aliquid sit factum, an Horæ recitatæ, an recta intentio adhibita, an peccatum admissum, an lex violata, an votum emissum &c. Utrumque dubium potest esse vel practicum, vel speculativum: si dubites in genere, an hæc vel ista lex obliget, habes dubium juris speculativum; si dubites, an certa lex te hic & nunc obliget, habes dubium juris practicum.

QUÆR.



QUÆR. II. An & qualiter peccet, qui agit cum conscientia dubia?

3. R. Qui agit cum conscientia practicè dubia, hoc est, qui non habet dictamen ultimum certum, vel saltem excludens omnem prudentem formidinem, ne actio hinc & nunc ponenda fortè sit illicita, peccat illo genere peccati, de quo dubitat. Ratio est, quia talis sic est constitutus, ut virtualiter dicat, quamvis dubitem, an hæc vel illa actio mihi sit prohibita, tamen volo eam facere, ideòque quantum est in se, contemnit legem: quòd si dubium practicum oriatur ex dubio speculativo, v. g. dubitas an hodie tenearis jejunare, eo quòd dubites, an hodie jejunium sit præceptum, debes primò diligenter inquirere in præceptum, inspicendo calendarium, interrogando alios: si adhibita sufficienti diligentia præceptum nullum reperias, poteris te resolvere pro libertate, ut statim dicam, nec tunc agis ex conscientia dubia, sed ex practicè certâ, v. g. hac: *Lex invincibiliter ignorata non obligat, hæc lex, si fortè est, ignoratur à me invincibiliter, ergo.*

4. QUÆR. III. An & qualiter in dubio, quod post diligens examen resolvere non possum, tenear sequi quod est tutius? tutius autem hinc vocatur, quod magis removet à periculo omnis peccati etiam materialis: sic si dubites an hodie obligeris jejunare, tutius est jejunare, quia si jejunes, ne quidem peccas materialiter; si verò non jejunes, potes peccare saltem materialiter, quia jejunium fortè est præceptum.

R. Cum communi contra *Wendrochium, Jul. Mercorum, Vinc. Baron, Girken* & paucos alios, in dubio non semper esse obligationem ad partem tutiorem,

Pro-

Probatur 1. Quia ipsa Ecclesia dispensat in Matrimonio rato contra sententiam tutiorem S. Bonavent. & Scoti, item in votis solennibus contra tutiorem D. Th.

2. Miles dubius de justitia belli potest bellare juxta c. quid culpatur. 23. q. 1. cum tamen non bellare esset tutius.

3. In dubio, an ager, quem bona fide teneo, sit meus, non teneor eum dimittere, etsi hoc foret tutius: item in dubio, an actus a Superiore preceptus sit licitus, possum obedire, quamvis tutius esset deprecari.

4. Alexander VIII. damnavit hanc 3. propositionem: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam, sed probabilissima saepe est minus tuta, qualis est v. g. ea, qua communiter docetur non esse obligationem statim poenitendi post admissum mortale, cum tamen statim poenitere sit tutius.

5. Certum est, quod tutum & prudenter sequatur sententiam communem, sed quod non sit obligatio in dubio semper sequendi tutiora, est communis & ferè omnium sententia contra paucos, ut videre est apud Teril. hic q. 22. Moya de opin. q. 6. § 2. & 3. & alios q. seq. citandos, ergo.

6. Lex semper sequendi tutiora esset onus intolerabile, quia ne quidem liceret sequi sententiam probabiliorem contra legem, quae rationes non tantum probant pro dubio facti ut aliqui volunt, sed etiam pro dubio juris, quando agitur de obligatione legis, ut patet consideranti, & dubium de existentia legis vel voti, est dubium facti, ergo tunc saltem non erit obligatio sequendi tutiora. Deinde certum est, quod lex non sufficienter promulga-

B

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

mulga-

mulgata & invincibiliter ignorata non obliget, sed lex sequendi semper tutiora in dubio juris non est sufficienter promulgata, cum Doctissimi post studiosissimam inquisitionem eam existere negent, ergo. Jam dicta intellige de dubio negativo, nam in dubio positivo, in quo habetur grave motivum pro utraque contradictionis parte, possum eligere quamlibet partem etiam minus probabilem, exceptis quibusdam materiis, in quibus ne quidem probabilior, sed semper tutior sequenda est, ut dicam *Cas. seq.* Dum vero Canones & SS. Patres volunt in dubiis tutiora esse sequenda vel loquuntur de dubio practico, aut de certis tantum materiis, vel id tantum astruunt per modum convenientiæ, non per modum regulæ universaliter obligantis.

5. QUÆR. IV. An axioma juris: *in dubio melior est conditio possidentis*, non tantum teneat in materia justitiæ, ut fatentur ferè omnes, sed etiam in materia aliarum virtutum?

R. Affirmativè. *Henriq. Suar. Filliut. Martine. tom. 1. moral. c. 1. q. 9. n. 3. Sanch. l. 1. mor. c. 10. Tamb. Sporer n. 75. & plures apud La Croix lib. 1. n. 502. Salas p. 2. t. 8. d. un. sect. 18. n. 166. Mezger de consc. disp. 12. a. 3. n. 10. Herinx, Joan. à S. Thom. d. 12. a. 4. n. 8. Moya cit. q. 5. n. 11. Viva opusc. 2. q. 3. a. 4. Renz. part. 3. disp. 5. q. 1. a. 6.* Ratio est 1. Quia ideo in materia juræ prævalet bonæ fidei possessor, quia ipsa possessio in dubio est aliqua præeminentia, ob quam possessor non debet privari re, nisi probetur esse non sua; item possessor est quasi reus, & alter, qui petit, est actor, in dubio autem favendum est reo secundum *Reg. jur. 154. ff. de reg. jur.* atque in materia aliarum virtutum libertas, quæ juxta *Reg.*

122. ff. de reg. jur. omnibus rebus est favorabilior, etiam sapius est in possessione contra legem, aut lex contra libertatem: sic in materia Religionis, si dubitem, an voverim, non obligor voto; è contra in materia obedientiæ si dubitem, an lex Superioris sit justa, subditus tenetur obedire; in dubio, an valeat matrimonium bonâ fide jam contractum, teneor reddere debitum, ut habet *communissima*, sed non potest horum dari alia ratio, quam quod libertas, Superior, & matrimonium sint in possessione sui juris, ergo. Si dicas cum *Fagn. in c. ne innitaris à n. 190.* possessio est tantum circa res, quarum potest haberi dominium, sed res, quarum potest haberi dominium, pertinent ad materiam justitiæ, ergo. Deinde, ideo in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia in dubio possessor præsumitur esse verus dominus, atqui præsumptio veri domini non tenet in materia aliarum virtutum, ergo. Contra est, etiam homo est suo modo dominus & possessor libertatis & innocentiam, nam dicitur quis dominus & possessor agrum, beneficii, honoris, quamdiu nullum obstat factum, jura, leges, quæ dominium vel possessionem istam infirmant, tenet quippe hæc omnia tanquam sua, si non corporis, saltem animi jurisque adminiculo suffultus, cur non ergo quis dici posset dominus & possessor innocentiam & libertatis, quando illa nullo contrario facto vel jure infirmantur? siquidem illa penes se habet jure naturæ contradita, ergo sicut in dubio est præsumptio pro possidente agrum, sic & in dubio an sit lex, est præsumptio pro libertate possidente, sive illam libertatis possessionem voces veram, sive minus strictè talem; sicut in criminalibus tamdiu est præsumptio pro Rei innocentiam, quamdiu non probatur

nocens, sive illam præsumptionem voces possessionem innocentia, sive non, est cavillatio de nomine, & in dubio favendum esse possessori, est æquitatis naturalis, quæ tam in-quàm extra materiam justitiæ locum habere debet.

6. 2. Illud est in possessione & præminentia, pro pro quo est præsumptio juris, sed in dubio an existat lex, votum, juramentum &c. præsumptio est pro libertate, nam libertas ante dubium de lege erat certa, contra certam autem libertatem non prævalet lex dubia, & existentia legis vel voti est quid facti, quod non præsumitur.

3. In dubio possum retinere agrum bonâ fide possessum, etsi sit periculum materialis injustitiæ, ergo quando libertas est in possessione, possum stare pro libertate cum periculo peccandi materialiter contra legem; non enim est minor obligatio vitandi periculum peccati contra justitiam, quàm contra alias virtutes.

*Dices* 1. Ideo in materia justitiæ possessio in dubio favet possessori quia facit præsumptionem de veritate, puta quòd possessor sit verus Dominus rei possessæ, cum ordinariè, qui possidet, rem suam possideat, eò quòd res non solet tradi & relinqui nisi vero domino; atqui in materia aliarum virtutum possessio regulariter non facit præsumptionem de veritate pro parte quæ possidet: ergo. *Prob. min.* qui dubitat v. g. an sonuerit duodecima nocturna ante diem Veneris, & per consequens an adhuc possit comedere carnes, quamvis sit in possessione suæ libertatis, illa tamen possessio non dat ei præsumptionem de rei veritate, id est, quòd potius non sonuerit duodecima, quàm sonuerit, & consequenter quòd possit potius comedere, quàm

quàm non comedere carnes. Ecce præcipuum  
partis adv. fundamentum.

*Confirm.* Vel enim libertas physica possidet con-  
tra legem, vel moralis; non physica, hæc enim  
maneret quamvis lex contraria agnosceretur, &  
tamen tunc non possideret contra legem; nec mo-  
ralis, nam de hac ipsa dubitatur an adsit quando  
dubitatur de lege, ergo hæc non est in certâ pos-  
sessione contra legem.

*¶. IV. Maj* Nam etiam in materiâ justitiæ pos-  
sessio non semper facit præsumptionem de veritate,  
quòd possessor v. g. sit magis dominus agri, quàm  
non possidens; posito enim casu, quòd ager quem  
possides, sit æque vel magis probabiliter non tuus,  
sed Petri; adhuc tibi favet lex justitiæ, & neque in  
foro in-neque externo teneris restituere agrum,  
quia æquitas naturalis non permittit ut de certâ agri  
possessione ejiciatis propter jus Petri incertum, etsi  
forsan probabilius aut æque probabile: ergo me-  
lior conditio possidentis non semper fundatur in  
præsumptione veritatis; quod adhuc clariùs patet  
in dubio delicti, in quo semper favetur Reo,  
quamvis forsitan sit major præsumptio veritatis con-  
tra quàm pro Reo; & alia hujus ratio dari non po-  
test, quàm quòd Reus sit in certâ possessione in-  
nocentiæ, famæ & vitæ, quâ eum privari ob de-  
lictum incertum vetat æquitas naturalis. Ergo  
cum homo, non minùs sit dominus & possessor  
libertatis suæ, quàm famæ & innocentie, æqui-  
tas naturalis pariter exigit, ut per superveniens  
dubium de lege, hac possessione non privetur.

*¶. I. Ad Confirm.* Idem solvendum esse  
omnibus circa possessionem libertatis in materiâ  
justitiæ.

*¶. 2.* Possidere libertatem physicam ob ratio-

nem jam datam. Et certè sicut possessor agri, non obstante dubio speculativo, quòd ager fortè non sit suus, adhuc sibi format conscientiam practicè certam quòd non teneatur restituere agrum, sic in dubio an existat lex, sum practicè certus, quòd non obliget lege quamvis fortè existat lex.

*Dices 2.* In materia justitiæ lis est inter hominem & hominem, in materia aliarum virtutum lis est inter hominem, & legem Dei, ergo meritò favendum est Deo, sicut in dubio favetur Ecclesiæ, matrimonio, doti & aliis causis piis. *R.* In materia justitiæ etiam lis est de lege Dei, quæ præcipit, non retinere rem alienam invito domino; & tamen in dubio possessor eam retinere potest cum periculo materialis injustitiæ, ergo in materia aliarum virtutum etiam stari potest pro libertate possidente cum periculo peccandi materialiter contra legem. Quòd in dubio favendum sit causæ piæ, habetur ex lege positivâ Ecclesiæ, quòd verò in dubio semper sit eligendum tutius seu standum pro lege contra libertatem, nullâ lege probari potest.

*7. Instabis 1.* In dubio obediendum est Superiori Deus est omnium superior & est in possessione juris præcipiendi. *2.* Lex naturalis & divina est æterna, ergo antecedit & possidet contra libertatem humanam.

*R. 1. Retorquendo.* Lex justitiæ est naturalis & divina, ergo in dubio tenetur possessor Deo obedire, & agrum restituere; item lex justitiæ est æterna & prior, ergo possidet contra possessorem agri.

*R. 2.* In dubio, an sit vel non sit lex, obediendum est Superiori N. in dubio, an lex jam existens sit justa, obediendum est superiori, C. nat

tunc lex est in possessione, & non aliàs. *Ad 2.* Lex naturalis & divina existens & sufficienter promulgata est in possessione contra libertatem C. non existens aut non sufficienter promulgata, ideòque inculpabiliter ignorata, veluti hæc, est in possessione contra libertatem N. Idem adversarii coguntur respondere de possessore in materia justitiæ, in quam præcipua eorum argumenta evidenter retorqueri possunt.

QUÆR. V. Quæ pars sit in possessione?

8.

R. Illa est in possessione, pro qua est præsumptio juris, seu quæ onus probandi in aliam rejicit. Pro illa autem est præsumptio, quæ vel est certa, vel est prior, vel saltem magis favorabilis dubitanti: v. g. dubitas post diligens examen de existentia legis, voti aut juramenti, vel de essentiali constitutivo aut requisito legis, putà an lex sit promulgata, usu recepta, an consuetudo habeat vim legis; non obligaris voto, lege, aut consuetudine, quia libertas est in possessione; nam ante dubium de lege, vel voto certò eras liber à lege & voto, ergo tibi probari debet, quòd existat lex vel votum, neque certa libertas tollitur per legem dubiam. Econtra si certus sis existere legem, votum, vel juramentum, & dubites, an lex cesset, an voto satisfeceris, vel ab eo sufficienter excusatus sis; possessio est pro lege, voto, aut juramento, quia lex, votum, juramentum sunt certa, solutio autem, & excusatio incerta, & dubia; debito autem certo non satisfit per solutionem vel excusationem incertam. *Suar. de leg. l. 6. c. 8. n. 7. Mezg. l. c.* quid verò tenendum sit si lex sit certa, & impletio legis solùm sit probabilis, dicam *Cas. 5. n. 18.*

B 4

QUÆR.



9. QUÆR. VI. Quid in dubio facti?

10. r. Observanda est regula apud omnes recepta teste *Laym. l. 1. t. 1. c. 5. n. 30. Factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet, leg. in bello §. facta ff. de captivis.* Si tamen principale factum sit certum, & dubitetur tantum de accessorio, quod de jure faciendum erat, vel fieri solet, tale accessorium præsumitur: v. g. orasti horas, audivisti Missam, explèsti pœnitentiam, sed dubitas, an cum debita in- & attentione; es confessus, & dubitas, an cum sufficiente examine vel proposito: in his omnibus accessorium præsumitur; & generaliter quando omnia externa in confessione, oratione, promissione & similibus posita sunt, actus interni in dubio præsumuntur, etiam ex hoc capite, quia in dubio standum est pro valore actus, ideòque dispensatio, absolutio à censuris vel reservatis in dubio censentur valida, & hæc præsumptio fortior est, quàm possessio legis contrariæ. *Dian. p. 4. r. 3. res. 45. § 46.* Si ipsum factum principale sit dubium, hoc ipsum nunquam præsumitur, excepto solo dubio commissi homicidii, in quo dubitans censetur irregularis in foro tam in quàm externo, sic enim statuitur in *c. significasti § c. penult. de homic.*

11. QUÆR. VII. Quæ hic ulterius pro praxi deducenda?

r. Seqq. 1. Si percussisti hominem, quem timebas esse clericum, si ex post adhibitâ diligentiam non possis rescire, an sit clericus, vel laicus, in animo quidem es sacrilegus, non tamen quòdam incurrendam excommunicationem: item suscepisti sacros Ordines cum dubio de sufficientia ætatis, teneris quidem abstinere ab usu Ordinum, usque dum ætatem certè consecutus fueris, non tamen  
es su-

es suspensus, nisi constet tibi revera ætatem legitimam defuisse, quia delicta consummata & inde consequens pœna in dubio præsumi non debent, odia enim restringi, favores convenit ampliari. reg. 1. Jur. in 6.

2. Si dubites, an admiseris mortale, & per consequens, an tenearis illud confiteri, ex communi sententiâ & maximè propter auctoritatem antiquorum ferè omnium teneris confiteri, quamvis oppositum etiam sit probabile, eò quòd delicta non præsumantur, & in dubio absolvendus sit reus vel maximè tunc, quando crimen ne quidem probabiliter probari potest. *Vid. cas. 97. n. 23.*

3. In dubio, an quis expleverit annum viginti annorum primum, si post accuratam inquisitionem dubium vincere non possit, non tenetur jejunare, quia libertas est in possessione, & mutatio ætatis, quæ est aliquid facti, non præsumitur, ideoque in tali dubio Subdiaconatum suscipere non poterit.

4. In dubio, an dies jejunii per sonitum duodecimæ nocturnæ transierit, non potes comedere carnes, quia dies jejunii est in possessione, certum enim est, diem jejunii extitisse, & incertum est, an transierit; è contra, si dubites, an dies jejunii cœperit, possessio est pro die libero, & mutatio temporis est quid facti, quod non præsumitur.

5. Sacerdos, qui dubitat, an mediam noctem cœnando excesserit, juxta *Laym. n. 36.* potest altero die etiam ex sola devotione celebrare, eò quòd pia mater Ecclesia non sit censenda tam strictè obligare in dubio: ego id verum judico, si adsit aliqua causa celebrandi, etsi non omnino gravis.

6. Si vovisti, & dubites, an sub veniali, an sub mortali, an calicem aureum, an argenteum, an religionem in genere, an in specie, & generaliter,

si dubites de modo contractæ obligationis, tunc præsumitur id, quod minus est, & favorabilius, nisi sit præsumptio fortior in oppositum.

7. In dubio, an votum emissum sit in pubertate, potest pater vel tutor illud irritare, tum quia mutatio ætatis non præsumitur, tum quia Superior in dubio non est spoliandus suo jure & autoritate. Plura alia dubia circa leges *V. cas. 5. n. 18.* circa obligationem restituendi *cas. 38. n. 18.* circa vota *cas. 68. q. 3. cas. 69. q. 2.*

### C A S U S III.

#### De Conscientia probabili.

**C**ato Theologus interrogatur 1. Quid sit opinio probabilis in- & extrinsecè. 2. Quoad se, & quoad nos; tenuiter, certo & probabiliter probabilis. 3. An ex hoc sit verè probabilis, quòd doceatur ab uno Recentiore. 4. An una opinio possit esse alterà probabilior, vel equè probabilis. 5. Que vocetur tutior. 6. An liceat sequi tenuiter, dubiè vel probabiliter probabilem. 7. An liceat sequi minùs tutam circa valorem Sacramenti, aut in periculo realis damni. 8. An minùs probabilem sequi possit Judex. 9. Advocatus. 10. An Medici, Chirurghi. 11. An saltem id liceat in aliis materiis. 12. An Superior possit præcipere secundùm sententiam minùs probabilem, & an subditus teneatur obedire. 13. & seqq. Qualiter hic solvenda opposita. 18. An liceat sequi sententiam à Sede Pontificià censuratam. 19. An alienam contra propriam. 20. An subditus contra propriam teneatur obedire. 21. An secundùm alienam liceat consulere in privatis & publicis. 22. An liceat sequi hanc & oppositam. Pro meliori terminorum & casus intelligentia: Sup-

*Suppono sequentia.* 1. Opinio est iudicium incertum nitens motivo de se fallibili, vel infallibili apprehenso ut fallibili: alia autem est probabilis, alia improbabilis. *Probabilis* dicitur, quæ nititur motivo absolute & simpliciter gravi, id est, apto movere hominem prudentem & doctum ad assensum, perpensis etiam accurate motivis oppositis, ideoque assentiens tali motivo non temerè, sed prudenter assentitur. *Improbabilis* est, quæ non nititur tali motivo.

2. Probabilitas alia dicitur opinioni *intrinsecæ*: quæ scilicet petitur ex veritate ipsi rei intrinsecæ; alia est *extrinsecæ*, quæ petitur ab authoritate Doctorum ita sentientium: hæc authoritas non facit veram probabilitatem, nisi quatenus præsumitur fundari in rationibus intrinsecis verè gravibus.

3. Alia opinio dicitur probabilis *quoad se*, quæ à parte rei pro se habet grave motivum, licet fortè à nobis non cognoscatur; alia probabilis *quoad nos*, quæ à nobis invincibiliter iudicatur habere grave motivum, quamvis fortè non habeat: & hæc iterum dividitur in certò, & in probabiliter tantum probabilem, in dubiè & tenuiter probabilem. *Certò probabilis* est, cujus probabilitas nobis certò absque formidine oppositi innotescit, *Probabiliter probabilis*, cujus probabilitas nobis tantum probabiliter innotescit, sic sententia, quam scio doceri à D. Thoma & ejus schola, est mihi certò probabilis, si autem ab uno homine fide digno dicatur mihi, illam doceri à schola Thomistica, erit mihi tantum probabiliter probabilis, quia authoritas unius non facit certitudinem. Opinio est *dubiè probabilis*, si dubitetur, an habeat motivum grave; est *tenuiter probabilis*, si pro se habeat leve

funda-

fundamentum non sufficiens movere hominem prudentem ad assensum.

3. 4. Non ideo propositio est probabilis, quòd doceatur ab uno Authore etiam impresso, uti certum est ex propos. 27. damnata ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censerì probabilis, dummodo non constet rejectam esse à Sede Apostolicà tanquam improbabilem, idque vel maxime, si doceat contra communem; nam quamvis autoritas unius viri docti secundum se possit esse gravis, non tamen est talis, prout opponitur communi sensui aliorum, pariter proborum & in arte peritorum, nisi novam & gravem adferat rationem ab aliis non inventam, nec facilè solubilem, idque præcipuè in materiâ ab aliis non ventilatâ, ut bene notat Mezger sup. a. 2. n. 7. Rudiores tamen in dubiis & obscuris tutò sequi possunt consilium Confessarii, Superioris vel alterius viri, de quo est communis opinio, quòd sit probus & intelligens, quia foret onus nimium grave, si ejusmodi homines tenerentur plurium sibi fortè contrariantium opiniones exquirere.*

4. 5. Aliquæ propositiones sunt æquè probabiles, ita ut intellectum, quantum est ex se, æquè fortiter alliciant ad assensum; aliquando una ex oppositis est probabilior, quæ scilicet magis fortiter ad assensum allicit, non tamen necessitat intellectum, quia est interta & inevidens, ac pro opposito etiam est motivum grave. *Reiffenstuel in Theol. mor. t. 1. dist. 3. n. 43.* An verò intellectus in concursu motivi æquè vel magis probabilis possit directè assenti minùs, vel æquè probabili, non facit ad praxin, nec opus est ad formandam conscientiam practicè certam, sed ad hoc sufficit, quòd intel-

intellectus reflexè judicet stare pro utraque parte  
 motivum grave, adedque se prudenter & non tem-  
 merè sequi posse utramque. Vide tamen, si lubet,  
*Teril. sup. Mezger. a. 5. La Croix à n. 398.*

6. Illa opinio hïc vocatur tutior, quæ stat pro  
 lege, ideòque remover à periculo etiam materialiter  
 peccandi, unde patet, minùs probabilem posse  
 se esse magis tutam, qualis v. g. est hæc: post ad-  
 missum peccatum est obligatio statim pœnitendi,  
 in tali casu licitum esse sequi sententiam minùs pro-  
 babilem in concursu probabilioris, omnes conce-  
 dunt, & ad oculum patet; quis enim dicet me  
 peccare statim pœnitendø, quamvis fortè sit longè  
 probabilius, quòd non sit obligatio statim pœni-  
 tendi? His præsuppositis famosissima simul, & in-  
 tricatiflima est quæstio inter Theologos de usu con-  
 scientiæ seu sententiæ probabilis, aliis contenden-  
 tibus semper tutiora vel saltem probabiliora se-  
 quenda esse; aliis ècontra affirmantibus ad fundan-  
 dam conscientiam practicè certam aliquando suffi-  
 cere quamvis opinionem verè probabilem etiam  
 minùs tutam. Itaque

Dico 1. Non est licitum sequi contra legem  
 sententiam tenuiter, dubiè aut probabiliter tantùm  
 probabilem, est *communis*: Ratio est, quia non  
 possum in ea fundare conscientiam practicè certam,  
 conscientia enim practica foret hæc vel similis,  
 quod ago ex motivo gravi, ago prudenter & lici-  
 tè, sed sequens sententiam tenuiter, dubiè, vel  
 probabiliter probabilem, ago ex motivo gravi,  
 ergo. Ubi vides *minorem* vel esse falsam, vel tan-  
 tum probabilem, ideòque & conclusio practica,  
 quæ partem sequitur debiliorem, vel erit falsa, vel  
 ad summum probabilis, non autem certa. Unde  
 Alex. VII. justè damnavit prop. 3. *Generatim dum*  
 pro-

probabilitate, sive intrinsecâ sive extrinsecâ quamvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exsatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

7. Dico 2. Quando agitur de valore Sacramenti, saltem circa conditionem ab Ecclesia non supplebilem, non licet sequi probabilem aut etiam probabilior, sed necessariò eligenda est tutior: v. g. est probabile, vel etiam probabilius aquam rosaceam esse verè aquam naturalem, attamen non licet eam adhibere in Baptismo, si aqua certò naturalis haberi possit: Ratio est, quòd illa probabilitas facere non possit, ut aqua rosacea sit certò sufficiens ad valorem Baptismi, ideòque Baptismus sine causa exponeretur periculo nullitatis, quod est contra reverentiam Sacramenti & charitatem proximi, qui fortè privatur Sacramento: ideòque Alexander VII. meritò damnavit propos. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore.* Idem tenet in variis casibus, ubi est periculum realis damni, ut, si sit probabile in via esse latrones, non possum citra necessitatem prudenter viam illam eligere; non possum è tecto projicere lapidem, si probabile sit transire hominem: quia illud damnum reale non removetur per iudicium etiam prudentissimum: de quo plura vide infra n. 17. Aliud est, si agatur de sola licentia vel honestate alicujus actionis; tunc enim probabilitas causat errorem invincibilem, & conscientiam practicè certam, & per consequens removet omne periculum peccandi formaliter, ut mox dicetur. *Dixi supra 1.* Saltem circa conditionem ab Ecclesia non supplebilem; nam si conditio sit supplebilis ab Ecclesia veluti jurisdictio in Sacerdote, an tunc locum habeat usus sententiæ probabilis, dicam Cas. 99. n. 6.

*Dixi*

*Dixi* 2. Si aqua naturalis haberi possit, nam in necessitate, quando materia certa haberi non potest, debet sub conditione adhiberi materia probabilis, necessitas enim & salus proximi tunc excusant ab omni irreverentia.

*Dico* 3. Judex in civilibus non potest ferre sententiam juxta minùs probabilem, uti iterum certum est ex propof. 2. ab Innoc. XI. damnata: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* 8.

Ratio est 1. Quòd judex ex officio debeat judicare secundùm merita causæ, & tanquam lanx viva propendere in eam partem, in qua est majus rationum pondus, atqui pro parte probabiliore sunt majora merita, seu majus pondus rationum, ergo.

2. Judex admittit perniciosum mendacium, si pro minùs probabili pronunciet, illámque dicat esse victricem, quæ est victa; illam esse potiore, quæ est inferior.

3. Hæc est præsumpta Reipublicæ judicem constituentis voluntas, consensus populorum & taciturnum pactum litigantium, qui hæc conditione sua jura & fortunas sententiæ judicis committunt, non ut pro suo arbitrio tanquam dominus, sed tanquam æquus judex juxta allegata & probata causam decidat; hinc etiamsi jura partium forent æqualia, adhuc non liceret judici pro libitu parti, cui voluerit, causam adjudicare, id enim probant rationes allegatæ, nec servaretur æqualitas, sed committeretur evidens acceptio personarum, & judex perniciosè mentiretur pronuncians unam causam esse alterâ potiore: igitur in tali casu obligabitur vel rem litigiosam dividere, vel partes ad compositionem inducere. *Suar. Laym. Bannez. 2. 2.*



9. 63: a. 4. Multò minùs licebit iudici tunc admittere munera, ut pro unâ parte potius decidat quàm pro aliâ, hoc enim foret iniquissimum, & est damnatum ab Alex. VII. in prop. 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius pro alio.* Aliud est de advocato, nam sicut ipse cliens habet jus iudici sua motiva, etsi minùs probabilia, ipse se exponendi, sic & per advocatum, nec hoc est, ut aliqui volunt, iudici suadere, ut pronunciet pro causâ minùs probabili, sed tantùm est petere, ut iudex pronunciet juxta merita causæ, quæ quamvis ex iudicio advocati videantur minora pro suo cliente, iudici tamen fortè videbuntur majora. *Dixi*: in causâ civili, nam in causâ criminali potest & debet iudex amplecti causam minùs probabilem faventem reo, quia in criminalibus requiruntur probationes luce meridianâ clariores, quales non sunt, quamdiu pro innocentia Rei stat probabilitas.
10. *Dico* 4. Etiam medici & chirurgi obligantur in conscientia adhibere media certa relictis incertis; probabiliora relictis minùs probabilibus: Ratio sumitur tum ex charitate proximi, qui sine causâ exponi non debet periculo gravis damni corporalis; tum ex chirurgi, & medici officio, & quasi contractu, ægroti enim eâ conditione se permitunt medico & chirurgo, ut subveniant securiori & meliori modo, si enim scirent eundem usurum mediis incertis relictis certis & tutioribus, ejus operâ non uterentur. Hæc intellige, si media certa & probabiliora habeant, aliàs enim satius est adhibere medium probabile & incertum, quàm nullum; imò si mors sit quasi moraliter certa, & tantùm habeatur medium, de quo dubitetur, an sit ob-

fit ob-vel profuturum, adhuc licitum erit illud adhibere, quia probabilis spes vitæ præferenda est periculo accelerandi mortem absque eo verosimilimè sublecuturam, *Sanch. Laym. n. 15.*

*Dico 5.* In quæstione de honestate actionis licitum est sequi sententiam minùs probabilem, etiam in concursu probabilioris & tutioris, *Medina, Lopez, Bannez, Joannes à S. Th. Salon. Pontius, Reding, Salmant. in 1. 2. t. 11. d. 7. dub. 2. Pasq. Dian. Caramuel fund. 11. Reiffenst. n. 53. & plurimi apud Teril. hic q. 22. Moya sup. Sporer c. 1. à n. 31. Platel. p. 2. n. 151. Mezger to. 2. d. 14. Renz d. 5. q. 4. a. 7. LaCroix l. 1. n. 269. contra Mercorum, Contens. Vincent. Baron, Elizalde, Gonzales, Henno, qui d. 3. a. 6. de consc. immeritò dicit, quòd tot DD. à benigniore sententia nunc defecerint, ut vix aliquid adhuc habeat probabilitatis extrinsecæ.*

*Probat 1.* Ideo adversarii negant licere usum sententiæ minùs probabilis & minùs tutæ, quia putant in sententiâ vel iudicio probabili non posse fundari conscientiam practicè certam, sed hæc potest in eâ fundari. *Probat 2. min.* Nam, quamvis iudicium speculativum, quo dico: pingere non est servile, sit tantùm probabile, attamen iudicium reflexum, seu conclusio practica est certa, ut patet in hoc syllogismo: quod non temerè, sed prudenter iudico mihi esse licitum, hoc licet; sed prudenter & non temerè iudico esse licitum pingere die festo, ergo mihi licet pingere die festo. *Major* est certa, quia ex prudenti iudicio intellectûs sequitur prudens electio voluntatis, quæ utpote potentia cæca ab intellectu regulari debet, & peccatum essentialiter est imprudens & temerarium, ergo non potest sequi ex iudicio prudenti. *Minor*

C

etiana

*R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.*

etiam est certa, quia supponitur esse probabile, quòd liceat pingere, ideòque pro eo stat motivum grave, iudicium autem nitens motivo gravi non potest esse temerarium, temerarium enim necessariò nititur motivo levi, & in hoc distinguitur opinio tenuiter vel probabiliter probabilis à certò probabili, quòd hæc nitatur motivo certò gravi, aliæ autem motivo vel levi vel tantum probabiliter gravi.

2. Possum in opinione æquè probabili vel probabiliori, non obstante ejus incertitudine speculativâ, fundare conscientiam practicè certam, ut fatentur plerique adversarii, & ex eo patet, quòd aliàs nulla sententia D. Th. vel Scoti etiam probabilissima contra legem, esset tuta in praxi, quòd repugnat propositioni tertiæ damnatæ ab Alex. VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo & in opinione minùs probabili, quia utraque nititur motivo gravi, quamvis incerto.

3. Non semper teneor sequi tutiorem, ut monstravi cal præced. n. 4. & certè si tutior semper sequenda esset, non possem sequi ullam sententiam D. Th. etiam probabiliorem aut probabilissimam contra legem, v. g. quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes in confessione non sint necessariò exprimendæ, ut docet in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. neque teneor sequi probabiliorem, nam non teneor semper facere quòd est prudentius, sed sufficit facere quòd est simpliciter prudens.

4. Si est obligatio sequendi tutiorem aut probabiliorem, ergo peccarunt mortaliter SS. Pontifices dispensando in votis solennibus contra tutiorem & secundum adversarios etiam probabiliorem D. Th. item in matrimonio rato contra tutiorem &

pro

probabiliorem seu probabilissimam (ut ait *Sanctus*)  
*S. Bonav.* & Scotistarum sententiam, consequens  
 autem asserere videtur temerarium; Pontifices  
 verò ita dispensasse constat ex probatissimis Autho-  
 ribus, quos refert *Baron.* ad annum 1041.

5. *C. laudabilem de frig. & malef.* permittitur  
 conjugibus frigidis tentatio copulæ usque ad trien-  
 nium, cum tamen post copulam per biennium  
 frustra tentatam, longè probabilius sit, esse impe-  
 dimentum impotentiae, & tutius foret abstinere ob  
 periculum pollutionis.

6. Sequeretur quòd nec Superior posset præci-  
 pere, nec subditus obedire secundum sententiam  
 minùs probabilem, quia secundum adversarios  
 non potest in eâ fundari conscientia practicè tuta  
 vel certa; consequens autem est contra commu-  
 nem fidelium sensum, & bonum commune, quod  
 requirit ut subditi in dubiis multò magis in proba-  
 bilibus Superiori obediant, ne detur ansa eludendi  
 Superiorum præcepta; Et satis constat ex *C. quid*  
*culpatur, caus. 23. q. 1.* ubi *S. Aug.* dicit subditum  
 posse militare ita jubente etiam Rege sacrilego, si  
 certum non sit, esse bellum iniquum, at quamvis  
 sit probabilius bellum esse iniquum, tamen hoc  
 non est certum, ergo. Accedit, quòd præceptum  
 Superioris ejusque autoritas sit certa, excusatio  
 autem incerta.

7. In dubio, an existat lex, libertas est in pos-  
 sessione, & existentia legis utpote aliquid facti in  
 dubio non præsumitur, ut probavi *Cas. prac.* atqui  
 est dubium & quidem positivum an existat lex obli-  
 gans ad sequenda semper probabiliora, & tutiora,  
 cum sententia adversariorum non sit certa, ut cla-  
 rum est ex suprapositis argumentis; Aut certè si  
 existeret talis lex, tamen non esset sufficienter pro-

mulgata, quia post exactissimam inquisitionem plurimi & doctissimi eam non agnoscunt, & publicatio tanquam aliquid facti iterum in dubio non præsumitur, maximè si ipsa lex sit dubia. *Nec dicas*, Hanc legem esse naturalem & divinam, ideòque non indigere promulgatione. *Contra est* saltem indiget sufficiente notitiâ, quæ hic non est, ideòque invincibiliter ignoratur, cum post sufficientem inquisitionem ex gravibus motivis judicetur non existere.

8. Juxta pleròsque adversarios licitè operor ex probabiliore, sed mihi probabilius est, quòd relictâ tutiore, & probabiliore possim sequi minùs probabilem, nam experienciâ mihi certum est intellectum meum magis trahi à motivis hujus sententiæ, & pro hac stare majorem auctoritatem, quam pro oppositâ, ergo.

9. Ex prædeductis est evidens, legem semper sequendi probabiliora esse omninò incertam, ut potè contra cujus existentiam sunt argumenta ad minùs probabilia, sed lex incerta non obligat, ut clarum est ex jure: *c. cum in jure 31. de off. & pot. jud. del. Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogaris quod mandatur*: ergo.

13 *Obji.* 1. Operans vel pingens die festo ex sententiâ minùs probabili, non habet iudicium certum de honestate operationis, cum probabilius sit quòd pingere die festo sit illicitum, ergo aget cum dubio practico.

*Confirmatur* 1. Iudicium practicum seu reflexum fundatur in iudicio directo, ergo si iudicium directum sit incertum, etiam practicum erit tale.

2. Non obstante illo iudicio reflexo manet probabilius, quòd non liceat pingere, ergo iudicium practicum, quòd pingere sit licitum, non est certum.

3. Ju

3. Judicium minùs probabile est magis difforme, quàm conforme legi æternæ, quia probabilius est, existere legem, ut supponitur, ergo tale judicium non potest esse regula actûs honesti.

4. Sequens sententiam minùs probabilem si erret, errat culpabiliter, quia prævidet periculum errandi, illudque evitare posset sequendo tutiorem.

5. Multi & doctissimi viri asserunt, tuum judicium practicum fundatum in opinione minùs probabili, quomocunque illud formaveris, non esse certum; idque probant ex motivis & rationibus verè gravibus & valde probabilibus, contra quod autem est ratio probabilis, id non est certum, ergo. Ità quoad rem *Brocard*, pag. 378.

¶. *Ad 1. Retorquendo.* Etiam operans ex sententiâ probabiliore non habet judicium certum de honestate operationis, cùm maneat probabile oppositum, sicut igitur respondes sufficere, quòd judicium ultimum reflexum sit certum, quamvis directum seu speculativum maneat incertum, sic & ego dico sufficere, quòd judicium ultimum seu practicum sit certum, quamvis speculativum si incertum, & minùs probabile.

*Ad 1. Confirmat. ¶. 1.* Iterum *retorg.* Judicium practicum fundatur in directo, ergo si judicium directum sit tantùm probabilius, & non certum, etiam conscientia practica erit talis.

¶. 2. *Disting. maj.* Judicium practicum fundatur in judicio directo, tanquam objecto affirmato existere, C. Tanquam in præmissâ, N. Syllogismus practicus seu conscientialis est v. g. hic; quod prudenter judico mihi licere, hoc licet, sed prudenter, hoc est ex gravi & probabili motivo judico mihi licere pingere. Ergo &c. ubi vides omnes præmissas esse certas, & minor non dicit directè, quòd

liceat pingere, sed dicit, id prudenter, & ex gravi motivo judicari, quod certum est, per consequens & conclusio seu dictamen ultimum erit certum.

*Ad 2. Confirmat.* distinguo *ant.* manet probabilius ex principiis directis seu speculativis, quod non liceat pingere *C.* ex principiis reflexis, *N.* Idem tenet in sequelâ probabilioris; cujus oppositum manet speculativè probabile, quamvis iudicium practicum dicant esse certum.

*Ad 3. dist. C.* Ergo iudicium probabile non potest esse regula ultima, & immediata honestatis *C.* hæc enim debet esse certa. Non potest esse regula mediata *N.* Idem est de iudicio probabilioris, quod pariter est incertum, & fortè con-fortè difforme legi æternæ, ideòque non potest esse regula immediata operationis honestæ.

*Ad 4. R. 1.* Iterum *retorq.* qui sequitur probabilioris contra legem, scit illam esse incertam, adeòque se posse errare, & errorem vitare eligendo tutius, ergo si erret, errat vincibiliter. *R. 2. N. Aff.* Nam post diligentem inquisitionem ignoratur lex, & prudenter iudicatur, non esse, ergo si erret, errat ex ignorantia invincibili; nec est obligatio semper eligendi tutius, ut sæpius jam dictum est.

*Ad 5.* Nego probabiliter asseri iudicium practicum fundatum in opinione verè etsi speculativè minùs probabili, non esse certum, nam Syllogismus practicus, ut supra dictum est, non asserit directè quod pingere v. g. non sit opus servile, sed solum asserit pro hoc esse grave & prudens motivum, quod omninò certum est, similiter asserit quod agens ex prudenti seu gravi motivo, non agat temerè

temerè sed prudenter, & per consequens non peccet, quod similiter certum est.

*Inst. 1.* Si ex hoc, quòd aliquid sit probabiliter licitum, intellectus posset practicè certò inferre, hoc licet, ergo ex hoc, quòd aliquid sit probabiliùs illicitum, intellectus certò inferre poterit, hoc esse illicitum; sed qui certò potest judicare aliquid esse illicitum, non est in ignorantia invincibili legis prohibentis, cum eam certò cognoscere possit, ergo. *R. N. seq. maj. To Non* est malignantis naturæ, & negat ex ullo motivo posse judicari licitum, quòd probabiliùs est illicitum, hoc autem falsum est, cum possit judicari licitum ex motivo probabili, quamvis ex motivo probabiliore judicetur, esse illicitum.

*Inst. 2.* Si ille bene agit, qui agit probabiliter honestum, ergo ille malè agit, qui agit probabiliter inhonestum. *R. 1.* Ergo malè agit, qui sequitur probabiliorem, quia agit probabiliter inhonestum.

*R. 2. N. C.* Nam non obstante, quòd aliquid vi judicii speculativi judicetur probabiliter esse inhonestum, attamen vi judicii reflexi & practici certò judicatur honestum. Neque enim hæc judicia habent idem objectum, ideòque unum potest esse certum, alterum tantum probabile, ut patet ex dictis.

*Inst. 3.* Probabilitas est æqualiter indifferens ad verum & falsum, ergo qui eam sequitur, non curat veritatem, & æquivalenter dicit: volo pingere die festo, sive sit, sive non sit licitum. *Confirm.* Talis non habet pro regulâ legem æternam, quia potest errare, operans autem secundum legem æternam errare non potest. *R. 1.* Etiam major



probabilitas est indifferens ad verum & falsum, & tamen prudenter eam sequor.

R. 2. Om. Ant. N. C. Diligenter inquisivit in legem prohibentem pingere, & eam non reperit, ideoque resolvit sibi licitum esse pingere. *Ad Confirm.* Etiam sequens probabiliorem potest errare, ergo & hic non habebit pro regulâ legem æternam, ideoque dico, habere pro regulâ saltem legem æternam permittentem, si fortè erret, quia errat invincibiliter.

25 *Obji.* II. Sic se habet minùs verum ad intellectum, sicut minùs bonum ad voluntatem, sed minùs bonum in comparatione majoris boni non movet voluntatem, ergo nec minùs verum in concursu majoris movet intellectum. Ecce *Achillem* adversariorm. *Confirm.* Intellectus est potentia necessaria, ideoque sicut bilanx necessariò propendet in illam partem, pro quâ est majus pondus, sic intellectus necessariò in illam, pro qua est majus verum, ergo non potest assentiri objecto minùs probabili in concursu probabilioris. R. 1. Posse concedi totum, quia argumentum ad summum probat, quòd intellectus in concursu probabilioris non possit directè assentiri minùs probabili tanquam vero, neque hoc requiritur, sed sufficit, quòd intellectus possit reflexè judicare, pro sententia minùs probabili esse motivum grave, ideoque voluntatem prudenter eam sequi posse.

R. 2. Sicut voluntas potest eligere minus bonum, si aliunde accedat nova bonitas, sic intellectus in rebus obscuris & probabilibus non necessitatur, sed accedente imperio voluntatis potest assentiri minùs probabili; si enim intellectus ex imperio voluntatis possit temerè dissentire vel dubitare de objecto fidei, non obstante majori credibilitate, imò

imò morali certitudine credibilitatis in oppositum, cur non assentiri minùs probabili? *Ad confirmationem* sicut bilanx potest inclinare in minus pondus, si ab extrinseco accedat impulsus v. g. digiti vel novum pondus, sic intellectus potest assentiri minùs probabili accedente impulsu voluntatis.

*Inst.* Sicut voluntas non movetur nisi à solo bono, tanquam objecto suo formali, sic intellectus à solo vero; atqui per imperium voluntatis minùs probabile non fit magis verum, ergo. 2. Major probabilitas elidit minorem; Si enim tres dicant, se Petrum vidisse in Ecclesiâ, & alii duo dicant se eundem eodem tempore vidisse alibi, non possum prudenter assentiri duobus. *Re. Ad 1. dist.* Intellectus movetur à solo vero evidenter vel probabiliter apparente, C. semper evidenter apparente, N. Intellectus necessitatur à sola veritate evidenter apparente, in obscuris & probabilibus subest imperio voluntatis, quæ facere potest, ut intellectus firmiùs assentiatur objecto, quàm mereatur pondus rationum, ut certum est ex propositione 19. damnata ab Innoc. XI. *Voluntas non potest efficere, ut assensus in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Cur ergo non possit facere voluntas, ut intellectus assentiatur motivo minùs probabili? *Ad 2.* Major probabilitas elidit minorem, quando motiva sunt planè similia, sicut in allato casu C. si motiva sint dissimilia, & directè non opposita, ut plerumque contingit in controversiis moralibus & dubiis juris, N. Constat enim experienciâ, quòd intellectus consideratis motivis utriusque partis sæpè fluctuet, vel saltem assentiatur cum formidine, formido autem oritur ex virtute motivi oppositi, ergo evidens est,

C s

quòd

quòd motivum oppositum non sit elilum, aut totam vim movendi amiserit.

17. *Obji. III.* Varias paritates, ut 1. imprudenter bibo vinum, quod probabilius est veneno infectum. 2. Imprudenter adhibeo medicinam minus probabilem & minus tutam, si aliam habere possim. 3. Imprudenter jaculor in objectum, quod probabilius est homo. 4. Imprudenter me ingero occasione, in quà sexies sum lapsus, quinquies non sum lapsus; ergo imprudenter sequor sententiam minus probabilem. *R. N. C.* In adductis exemplis ubique agitur de damno vel periculo reali, quod æqualiter sequitur, sive error meus sit vin. sive invincibilis, neque meum iudicium probabile facit me securum, quòd vinum non sit infectum, quòd medicina non sit nocitura, quòd objectum, in quòd jaculor, non sit homo &c. ergo imprudenter me vel alium exponerem tali periculo; è contrà suppositâ probabilitate & ignorantia invincibili legis sum securus me non peccare formaliter. *Ad 4.* Specialiter dico quamvis in tali occasione ipse lapsus v. g. fornicatio non sit certa, ipsum tamen periculum fornicandi, seu peccandi formaliter, est certum, cui proin sine peccato me exponere non possum.

*Inst. 1.* Ergo nunquam licebit sequi opinionem minus tutam aut probabilem saltem in materia iustitiæ, restitutionis, infamationis, scandali &c. quia tunc semper agitur de damno reali, sive in temporalibus, sive in famâ, sive in animâ. *R. S.* alter sit in certâ possessione rei vel juris ad rem, contra illum non licebit uti opinione minus tutâ vel probabili. *C. secus N.* possessio dat jus certum inhærendi rei, idèdque contra possessorem nulla valet probabilitas. Econtrà si ego sim poss

possessione, aut etiam agatur de gravi damno meo, possum utique sequi opinionem minùs probabilem faventem juri meo; sic tutò retineo agrum bonâ fide possessum, et si probabilius foret eum non esse meum: in materiâ famæ licitè revelo crimen occultum proximi, quod sine gravi meâ infamiâ vel damno tacere non possum: licitè pono actionem honestam, ex quâ forsan alter est scandalizandus, si eam sine gravi meo incommodo non possum omittere.

*Inst. 2.* Imprudenter ago illud ex quo Deus probabilius offendetur. Item minister Principis imprudenter facit ea, quæ probabilius judicat adversari mandato Principis, ergo & imprudenter sequor minùs probabilem. *R. Ad 1. N. C.* Ex dictamine pratico certus sum, Deum non offendi per usum sententiæ minùs probabilis. *Ad 2. Omis. ant. N. C.* Minister regulariter potest se verbo vel scripto certificare super voluntate Principis, vel specialiter se obligavit ad diligentiam exquisitissimam, quòd si taliter se non obligavit, neque scire possit voluntatem Principis, etiam licitè agere poterit, quod minùs probabiliter judicat non adversari voluntati Principis... Ex dictis pro praxi.

*Deduces seqq. 1.* Non licet sequi sententiam à Sede Pontificia censuratum, quamvis antehac fuisset probabilissima, quia per censuram amisit probabilitatem practicam; si dubium sit, an sit censurata, adhuc eam sequi non licet, quia est tantum dubiè probabilis. Censuras verò & decisiones papales in materia fidei & morum esse infallibiles, apud Doctores sincerè Catholicos est indubitatum contra hæreticos & quosdam Jansenii affectus; idèòque ut doctrina sana & catholica, à falsâ, suspen-

suspectâ, impiâ aut hæreticâ, facilius discerni valeat, propositiones à S. Sede damnatas suis ubique locis inserui.

19 2. Confessarius & quivis alius potest sequi sententiam alienam, quam cognoscit esse probabilem, etsi suam judicet esse probabiliorē & simpliciter veram. *Nav. man. c. 26. num. 4. Laym. c. 5. Thom. Sanch. in decal. c. 19. num. 14. & DD. cit. n. 11.* Ratio est, quia hoc ipso, quod cognoscit alienam esse probabilem, cognoscit pro ea esse grave motivum, ideòque se eam prudenter sequi posse, hinc si pœnitens nitatur sententiâ verè probabili v. g. quod circumstantiæ aggravantes non sint necessariò explicandæ, quod hic vel ille contractus sit licitus, confessarius non tantum potest, sed & tenetur eum absolvere contra sententiam propriam sibi probabiliorē, quia pœnitens est bene dispositus, & post explicata peccata habet jus ad absolutionem, & confessarius, ut Judex debet pronunciare secundum allegata, & probata pœnitentis, non secundum privatam suam opinionem. *Joan. à S. Th. dis. 12. a. 6. La Croix n. 445. Sporer n. 47. Reiffenst. n. 55.*

20 3. Subditus tenetur obedire Superiori secundum minus probabilem præcipienti, quia tenetur semper obedire, quando licitè potest, sed potest licitè obedire accommodando se minus probabili, idque exigit bonum commune & auctoritas Superioris, quæ est in possessione præcipiendi, ergo. Imò quilibet obligatur ex charitate sequi sententiam minus probabilem, si per eam commodè possit impedire grave malum v. g. peccatum in se, vel in proximo, ideòque si confessarius advertat sententias rigidiores pœnitenti esse periculosas ob nimios v. g. scrupulos vel pusillanimitatem

opot

oportet, ut eum dirigat secundum benigniores; si verò declinet in noxias laxitates, dirigendus est secundum rigidiores.

4. Non tantum licite sequor alienam probabilem, sed etiam alteri secundum eam licite suadeo, vel saltem expono licitum esse ejus usum; Ratio est, quia ego ipse licite eam sequor, & etiam consulens eam licite sequi potest, ergo eandem ipsi licite suadeo, non enim magis teneor alienam conscientiam curare, quam propriam. *Laym. sup. Mezger a. 9. num. 3. Renz a. 8.* Excipe nisi quis consulatur in negotiis publicis, v. g. an bellum vel tributum sit justum; tunc enim consiliarii tenentur suadere probabiliora, idque exigit bonum commune, & recta ratio, & ipsi tunc sunt quasi iudices inter Principem & subditos: est communis cum *Sporer n. 43.* Ut autem Princeps (idem est de quovis superiore) tuto sequi possit mentem suorum consiliariorum, oportet 1. ut seposito omni humano affectu elegerit tales, quos judicabat regnatos, & probos & incorruptibiles, 2. ut iisdem relinquat plenam libertatem edicendi veritatem, etsi ingrati Principi; tunc enim & non alias eorum consilium etiam contra propriam opinionem tuto sequitur: Ratio est, quod ejusmodi sint plerumque magis intelligentes, quam ipse Princeps, & facilius sit, unum errare, quam plures.

5. Rudiores in dubiis & obscuris tuto sequi possunt consilium confessarii, Superioris, vel alterius viri, de quo est communis opinio, quod sit probus & intelligens, quia foret onus nimium grave, si ejusmodi homines tenerentur plurimum sibi fortè contrariantium opiniones exquirere.

6. Probabilius non licet sequi hanc & oppositam 22  
pro-

probabilem, si inde una lex certò violaretur, v. g. auditâ die Jovis duodecimâ noctis in uno horologio non potest Clericus prudenter judicare, se esse deobligatum à Completorio, & simul judicare se posse protrahere cœnam in carnibus; quia scilicet necdum audita est duodecima in altero horologio; nam quamvis duo horologia communiter bene directâ sint quasi duo testes probabiles, tamen utrumque simul sequi non possumus, quia certè infringo unam legem; si enim primum fallat, pecco non orando Completorium; si secundum, pecco comedendo carnes. Similiter in testamento non solenni, non possum prudenter judicare illud esse validum, & sic retinere hæreditatem, & ex altera parte resolvere non esse validum, ut non tenear exsolvere legata; certò enim læderem unius jus, vel enim testamentum est invalidum & lædo jus illius, cui hæreditas debetur ab intestato; vel est validum, & lædo jus, quod legatarii habent ad legata. Si bonâ fide jam adiissem hæreditatem non cogitans de probabilitate sententiæ oppositæ, possem juxta plures utriusque sententiâ oppositâ, & resolvere me non teneri ad solvenda legata, quia sum possessor bonæ fidei, & jam fortè jus unius læsum est, & est probabile, legatarios nullum habere jus: nihilominus probabilius videtur, quòd adhuc teneat solvere legata, vel dimittere hæreditatem, alioquin adhuc certò violabo vel jus hæredis ab intestato retinendo hæreditatem, vel jus legatariorum legata non extradendo.

## CASUS IV.

De Conscientiâ perplexâ &  
scrupulosâ.

**D**Eo data religiosa multa iudicat esse peccata qua non sunt 4. super delicto consororis interrogata, timet delictum occultum fateri, ne detrahat; etiam timet negare, ne mentiatur 1. Quia etiam multum angitur super vitâ præteritâ, se scrupulosam iudicat, & in omnibus utitur privilegiis scrupulosorum 5. peccata, de quibus non est omnino certa, non confitetur; consororibus invidere, & de iisdem malè loqui vanos scrupulos æstimat. De confessionibus in iuventute factis multum anxia de his tanquam scrupulosa à confessario non auditur ibid., & sæpè non absoluta quamvis multa dubia afferat, ad communionem mittitur, 3. postea in multis verè scrupulosa, timet se peccare, quoties confessario non inclinatur, omnes liberiùs secum loquentes de luxuria habet suspectos, in omnibus putat se egisse cum dubio, circa cogitationes impuras nunquam potest se resolvere; varios exquirere confessarios, nulli tamen nisi proprio iudicio acquiescit 6. Pro resolut.

QUÆR. I. Quid sit, & qualiter obliget conscientia perplexa?

R. Conscientia perplexa est dictamen, quo intellectus iudicat inesse peccatum utrique opposito, quorum tamen unum necessariò fieri debet v. g. putas te peccare peccato mendacii, & inobedientiæ, si Superiori te interroganti crimen occultum proximi non reveles; è contra si reveles, putas te peccare peccato detractionis. Item putas te peccare,

care,



care, si die festo negligas Missam, & etiam, si auditâ Missâ negligas ægrotum. Primum tunc remedium est, ut si possis, perplexitatem deponas, exquirendo aliorum consilia, consulendo libros, &c. Si enim possis deponere, & non deponas, peccas contra conscientiam agendo quodcunque ex oppositis, quia perplexitas est tibi voluntaria; si verò perplexitatem deponere non possis, elige, quod minus malum videtur; & si mala videantur æqualia, elige, quod vis, & non peccabis, quia malum non agis liberè.

2. QUÆR. II. Quid sit scrupulus & quæ ejus radix?

R. 1. Conscientia scrupulosa seu scrupulus est inanis apprehensio peccati, ubi non est, & hinc ortus timor atque anxietas: dicitur *apprehensio*, non iudicium aut dubium, quia qui iudicat, vel præcèticè dubitat, aliquid esse peccatum, & tamen illud facit, peccat contra conscientiam. E contra scrupulosus licitè agit contra scrupulum, dummodo ut talem cognoscat, & contemnat.

R. 2. Radix extrinseca scrupulorum est tentatio diaboli, ut bonum spirituale hominis impediatur, aut etiam permissio divina, ut anima magis purificetur, & in timore Dei solidetur: vel etiam, ut quis meliùs instruat, ut sciat compati, & suo tempore dirigere simili malo affectos. Radix intrinseca est varia, utpotè ignorantia, superbia, & pertinacia intellectûs nolentis prudentum consilio acquiescere, immoderatus timor omnis istius, quod habet speciem peccati, pusillanimitas, melancholia &c.

3. QUÆR. III. Quæ sint signa & remedia scrupulorum?

R. 1. Signa scrupulositatis sunt, si quis sapiens

cum inanibus dubiis redeat, si accepto prudentis consilio non acquiescat, sed varios consulat ac fatiget, stando tamen nullius iudicio nisi suo, si anxietates internas ridiculis motibus, & gestibus prodat, concutiendo v. g. caput, suspirando, frontem signando &c. Si eandem actionem anxie nunc intermittat, nunc repetat si apprehendat malum in eo, quod passim videt ab aliis probis hominibus fieri sine scrupulo, si faciat varias reflexiones circa innumeras circumstantias, si timeat ferme in quavis actione peccatum, & inquietetur continuo, nesciens prudentem suae anxietatis rationem reddere, si temere diffidat prudentiae vel peritiae Confessarii aut alterius, quem consulit &c. e contra pro scrupulosis haberi non debent, qui omnia mortalia & venialia etiam minima imo & eorum suspicionem ex timore filiali student vitare, illi enim non scrupulosi, ut laxiores iudicant, sed timorati vocandi sunt.

By. 2. Generalia scrupulorum remedia sunt 1. fervens oratio ad Deum juxta illud 2. Paralip. c. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hac habemus solum residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

2. Et praecipue, eligere & constanter servare eundem confessarium probum & expertum, ejusque consilio contra quavis trepidantis propriae rationis argumenta caecè obtemperare, & pro certo credere, non tantum se tunc in omnibus confessarium sequi posse, sed & debere, ne sequendo proprium iudicium se conjiciat in periculum corporis & animae; oportet autem, ut confessarius in dandis consiliis sit resolutus & cordatus, ne dum ipse anxie procedit, in scrupuloso anxietates augeat, vel diffidentiam causet; nec permittat, ut poenitens secum vel cum aliis multum de scrupulis loquatur, sed po-

D

tius

*R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.*

tius eas tanquam nugas & ineptias blandè diridendo, sermonem abscindat; & si præter scrupulos nil adferat, sine absolutione ad commotionem mittat.

3. Scrupulo se insinuanti in primis initiis aditum occludat, cogitationes ad alia divertendo; si pergat molestare, eundem contemnat & audacter contra eum agat.

4. Sæpè recogitet bonitatem & amabilitatem Dei, qui non vult mortem peccatoris, nec delectatur in ejus perditione; sentiat de Domino in bonitate, & cum scrupulosis non conversetur.

5. In dubiis resolvat se pro libertate, nec judicet aliquid esse mortale, aut se in mortale consensisse, nisi id certò deprehendat, nec confiteatur ea, quæ sunt dubia aut scrupulosa, sed tantùm ea, quæ manifestè peccata esse noverit, nec propterea exponit se periculo; tum quia potest & debet sequi regulas à suo confessario vel homine docto præscriptas; tum quia cum tanto suo damno & periculo hærendi in perpetua anxietate, non tenetur in majorem certitudinem inquirere.

6. Confessarius seriò attamen discretè moneat scrupulosum suæ obligationis obediendi confessario, & præscripta ab eo remedia adhibendi; proponat damna & incommoda ex iis oriri solita: Nam destruunt valetudinem, attenuant caput, vitam sæpe abbreviant, hominem quandoque ad insaniam redigunt, animam reddunt intricatam, desolatam, perplexam, quandoque desperandam, confundunt intellectum, impediunt consolationes Spiritus S., retardant alacre exercitium virtutum, sæpe totum hominem insignibus talentis præditum reddunt ad omnes functiones ineptum, & faciunt inutiliter consumi vires tam corporis, quàm animæ & tempus miserè perdi, ita quoad rem omnes.

*Ad casum,*

*R. 1.*

2. 1. Deodata judicans aliqua esse peccata, quæ non sunt, non habet scrupulum, sed iudicium erroneum, contra quod, si agat, peccat contra conscientiam, graviter vel leviter, prout iudicat se peccare, quam ob causam imprudenter se iudicat scrupulosam, quia etiam laxissimis conscientiis contingit habere iudicia erronea, scrupulus autem non est iudicium, sed apprehensio & timor peccati ubi non est, ut patet ex dictis.

2. Ipsius Deodatæ non erat iudicare de propria scrupulositate, cum etiam viri prudentissimi sæpè in rebus propriis cæcutiant, sed oportebat eam desuper audire iudicium hominis probi & intelligentis, hinc malâ fide utitur privilegiis scrupulosorum: non enim hoc omnibus licet, ideóque si non habeat rationes propabiles, se peccata dubia vel non admisisse, vel esse confessam, tenetur ea confiteri juxta dicta *Cas. 2. num. 12.*

3. Quòd invidiam & detractionem æstimet inanes scrupulos, est conscientia vincibiliter erronea, ideo enim hoc habet pro scrupulis, quia se temerè iudicavit scrupulosam; deinde invidia & detractio ex lumine naturali cognoscuntur esse mala, ideóque eorum malitia vix invincibiliter ignorari potest.

4. Nec ex hoc præcisè iudicanda est scrupulosa, quòd multùm angatur de vita præterita; sæpè enim homines, præsertim, qui fuerunt laxioris vitæ, meritò anguntur & dubitant, an ex pudore, malitia, aut negligentia culpabili aliqua peccata in confessione omiserint, an cum seridò dolore & proposito ad confessionem accesserint, occasiones proximas remove, inimicis ignoscere, ablata restituere parati fuerint &c. Hinc malè super his à confessario non auditur, non enim potest iudicari scrupulosa, nisi aliquoties fuerit audita, & ab experientia constet,

illam inanibus dubiis & anxietatibus divexari; aut si dubia sint quodammodo fundata, pro quietandâ semel pro semper conscientia ad confessionem generalem erit disponenda.

9. 5. Verè scrupulosa quamvis timeat se peccare mortaliter, si confessario non inclinēt, tamen non peccat, modò judicet esse scrupulum & ut talem contemnat.

6. Quòd liberiùs secum loquentes judicet esse luxuriosos, non est scrupulus, sed judicium temerarium, potest enim contingere, ut quis in unâ materia sit scrupulosus, in alia nimis laxus.

7. Quòd circa cogitationes turpes & similes non possit se resolvere, an deliberatè consenserit, vel non consenserit; item quòd in omnibus putet, se egisse cum dubio, est signum veræ scrupulositatis, solent enim scrupulosi timere peccatum, ubi non est, & judicare, quòd egerint cum dubio practico, cum tamen fuerit speculativum, & quia hoc illis vix unquam est certum, semper possunt judicare pro sua libertate, nec debent ejusmodi dubia confiteri, nisi tam certi sint, ut jurare quasi possint, se peccâsse mortaliter: nec sufficit, quòd dicant, se certò habuisse turpes, v.g. cogitationes, iisque fuisse delectatos, sed debent esse moraliter certi se ejusmodi cogitationes voluntariè assumpsisse, vel plenè deliberatè consensisse, & ut malas cognovisse.

8. Inquirere novum & novum confessarium, est signum superbi & pertinacis intellectûs nolentis acquiescere alterius judicio: hujusmodi seridè est inculcandum, quòd, cum se ipsum præ spiritûs inopia dignoscere, minùs juvare possit, & cursitando de uno ad alium, causa sit, quòd nullus miserum ejus statum perfectè cognoscat, ideo ob pertinacem superbiam

justil-

justissimè hæc patiat, & omninò fiat incurabilis, nisi experti & probi viri (sicut ex charitate propria omninò obligatur) iudicio cœcè se submittat.

## DE REGULA EXTERNA

Actuum humanorum, sive de  
Legibus.

### CASUS V.

*De essentia & proprietatibus Legum.*

**E**Baldus Theologus interrogatur 1. *Quid sit Lex?* 2. *Humana, divina, & an Leges Veteris Testamenti adhuc obligent.* 3. *Lex affirmativa, negativa, pœnalis.* 4. *Favorabilis, odiosa.* 5. *An materia levis cadat sub precepto gravi vel contra.* 6. *An actus interni.* 7. *An Lex naturalis, & positiva debeat promulgari.* 8. *Qualiter Lex Imperatoria, vel Pontificia.* 9. *Episcopalis, vel inferiorum Principum.* 10. *An Lex debeat acceptari.* 11. *An contra eam possit appellari.* 12. *Quid consuetudo: an possit habere vim legis.* 13. *Vel legem abrogare, & qua ad hoc requirantur, & quid si Lex improbet consuetudinem.* 14. *Quid si Papa vel Princeps sit invalidè electus, vel de hoc sit dubium.* 15. *Quid circa declarationes Cardin.* 16. *Quid in dubio, an Lex sit promulgata vel recepta, an obliget sub mortali vel veniali &c. An sit iusta &c.* 17. 18. *Quid in dubio an Legi sit satisfactum.* 19. *Quo tempore Leges implenda. Pro resolut.*

QUÆR. I. *Quid & quotuplex sit Lex?*

R. 1. *Lex in genere est recta agendorum omniumve ratio. Dividitur primò in naturalem,*

D 3

&